

ΔΙΑΘΗΚΗ

Χίος, 1460, 21 Οκτωβρίου

«In nomine domini amen. Cum nil sit certius morte nil vero incertius hora mortis que animo cuiuslibet sapientis debet esse suspecta idcirco Iacobus de Semino q. Mathei sanus mente corpora et intellectu, divinum timens iudicium cuius hora nescitur per hunc presens nuncupativum testamentum sine scriptis de se bonisque suis disposuit et ordinavit ut infra inprimis namque si eum mori contingerit animam suam recomendavit altissimo Creatori totique curie celesti corpus vero suum sepeliri iussit in ecclesia sancti Francisci de Chio pro cuius exequiis et sepultures iussit et voluit expendi debere in discretione infrascripti sui heredis.

Item legavit Francisco Antonio Jeronimo Pasqualino et Lucheto fratribus et filiis suis naturalibus pro anima ipsius testatoris tamquam pauperibus Christi et miserabilibus personis florinos mille januinorum pro singulo ipsorum.

Item legavit Andriole filie sue naturali ad suum maritare et quando maritatur tantum quantum videbitur ipso heredi pro anima ipsius testatoris.

Reliquorum vero bonorum mobilium et immobilium suorum jurium et actionum sibi quocumque et quantumcumque spectantium et pertinentium sibi heredem universalem instituit et voluit Johannem de Semino q. Mathei fratrem suum. Et hec est sua ultima voluntas et suum ultimum testamentum quam et quod valere voluit jure testamenti et si jure testamenti non valet potest.

Casans irritans et anulans quodcumque testamentum codicillos et ultimas voluntates per ipsum testatorem hinc retro factos et facta ac conditos et condita presenti suo testamenti in suo robore permanente.

Ceterum vero legatorum suorum legavit operi portus et moduli secundum ordinamentum et capitula civitatis Janue.

Actum in civitate Chij videlicet ad apotecham Manfredi de Constantia sartoris posita sub turi Nichotis anno dominice nativitatis MCCCCLX indictione VIII secundum Janue cursum die lune XXI octobris in vesperis testes Manfredus de constantia predictus Stefanus de Bozolo Dominicus Raviola Jacopus de Trano Petrus de Zoalio Petrus Laynus et Andrea de costa ad hec vocati et rogati»¹⁹¹.

144

1349-1373. Δικαστικές αποφάσεις. Βενετία, Καφφάς, Τάνα [λ].

S. K a r p o v, «Hunting for People: Black Sea Piracy in the XIVth-XVth Centuries», *Πειρατές και Κουρσάροι. I Συμπόσιο Ιστορίας & Τέχνης*, Αθήνα 2003, σσ. 73-75.

191. αρ. 248.